



**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. II. Quomodo lex nova differat à veteri?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

pris moralibus Christus dixit Matth. 19. *Sicut ad A-  
viam ingredi, serva mandata, per qua præcepta  
Decalogi, quæ proprie ad mores pertinent, ju-  
xta omnes intercetes, intelligebat. Et Matth.  
9. divortium & libellum repudii prohibuit, &  
statuit, ut vinculum matrimonii non amplius  
dissolvatur. De sacramentalibus Joan. 3. Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu San-  
cto, non potest intrare in regnum Dei.* Et Joan. 6. *Nisi  
manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vi-  
tam in vobis.* De præceptis vero fidei dicebat,  
Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-  
vus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et Joan.  
8. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato  
vobis.**

**B** Notandum verò, hoc inter triplicia illa præ-  
cepta esse dictamen, quod moralia, cùm sine  
juri naturali, non fuerunt à Christo instituta,  
sed tantum explicata & vindicata ab erroribus,  
quibus ex hominum malitia fuerant involuta.  
Sacramentalia vero instituta sunt à Christo, ut  
essent loco veterum, quæ ab ipso abrogata sunt.  
Præcepta vero fidei de novo instituta non sunt,  
sed tantum ex implicitis facta fuerunt magis clas-  
sata; ut nunc explicitè mysteria quædam crede-  
re teneamur, quæ in lege veteri implicitè dunta-  
xat credebantur: cuiusmodi sunt nativitas, pas-  
sio, & mors Christi, quæ à Judæis obscure cre-  
debantur, sed expressè creduntur à Christianis.

## ARTICULUS II.

*Quomodo lex nova differat à  
veteri?*

**2** **L** Ex vetus & lex nova seu Evangelica in mul-  
tis discrepant. Primum differunt in eo quod  
illa scripto tradita sit in tabulis lapidis ministe-  
rio Angelorum, ista per Spiritum sanctum ho-  
minum cordibus insculpta: juxta illud Aposto-  
li 2. ad Corinth 3. Epistola istu Christi (nimisrum D  
legem & doctrinam Evangelicam continens)  
ministrata à nobis, scripta non ariamento, sed Spiritu  
Dei viri, non in tabula lapidis, sed in tabulis cordis car-  
nali. Ubi Theophilactus: *Ex hoc loco Pauli, no-  
vi Testamenti infra præcellentiam. Lex, ipsoquit, ar-  
mento scribatur: Evangelium innobis per Spiritum  
scriptum est. Quantò igitur intervallo, Spiritus ab ar-  
mento distat, & cor a lapide, tanto & novum à lege dis-  
crepat, &c.*

**2** Dices primò, lex nova scripto fuit tradita, &  
quæ ac veris, eam enim, Apostoli & Evangelista  
descripserunt: Ergo non valet tale discrimen.

Respondeo ex D. Thoma quest. 106. art. 3. le-  
gen novam duo contineat. Primum & principali-  
ter gratiam & charitatem diffusam in cordi-  
bus, quæ impellimur & juvamus ad bene ope-  
randi; & quoad hoc secundum, legem na-  
vam scripto fuisse traditam, & quæ ac veterem;  
sed quoad primum fuisse in cordibus fideliū  
diffusam & insculptam, præcipue in solemani  
ejus promulgatione, facta in die Pentecostes:  
tanta enim fuit tunc data gratia & charitatis ab-  
undantia, ut vi illius potueret tota lex nova sine  
scripto conservari, ut recte dicit Irenæus lib. 3.  
contra hereticos cap. 3. Addo quod lex nova non  
fuit per se primò scripta & ex professo sicut Mo-  
saica, sed per occasiōem scribendi vitam Chri-

sti, rogatu fidelium, vel docendi eosdem per Epi-  
stolas, aut occurrenti hæresibus Cherinthi, E-  
bionis, & aliorum deinceps contra Ecclesiam  
insurgentium. Neque fuit scripto mandata eodem  
die Pentecostes quo promulgata est, sed  
multò post, octavo nimisrum post mortem Chri-  
sti anno, Petri & Paulo Romæ jam prædicanti,  
ut docent Irenæus lib. 3. cap. 1. Theophila & Cus  
præfatione in Matthæum, & Eusebius lib. 5. hi-  
storiarum cap. 8.

Dices secundo, etiam lex Mosaica fuit inscul-  
pta cordibus Judæorum, per illuminationem  
& gratiam Spiritus sancti, cùm gratia non de-  
seruit Judæis, ut possent intelligere & servare  
talenti legem, multa supernaturalia præcipien-  
tem: juxta illud Deuteronom. 30. *Mandatum quod ego  
præcipio tibi hodie, non supra te est &c. sed iuxta te est  
sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum:*  
Ergo hæc legis in mente consignatio, non est  
propria novo testamento.

Respondeo quod quamvis gratia necessaria  
non defuerit Judæis ut possent servare legem  
Mosis, illa ramen non pertinuit ad legem Mo-  
saicam, neque fuit data vi statu illius, in quo  
nondum fuerat solutum premium redemptoris  
nostræ; sed pertinuit quodammodo ad legem  
novam, & ad Christum ejus auctorem, à quo  
emendata fuit, & obiecta per eum merita. Ne-  
que tanta fuit abundancia gratia concessa com-  
muniter illis temporibus, ut dici possit legem  
Mosaicam fuisse a Spiritu sancto mentibus hu-  
minum insculptam; sed hoc soli legi Evangelicæ  
convenit, quæ, ut diximus, in die Pentecostes,  
quo solemniter promulgata est, magnâ & visibili  
effusione Spiritus sancti, in cordibus Aposto-  
lorum & Discipulorum consignata est: juxta il-  
lad Jeremias 31. *Dabo legem meam in vescibim e-  
orum, & in cordibus eorum scribam eam.* Unde Augu-  
stinus de Spiritu & litera cap. 17 *Ibi in tabulis la-  
pides digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis,  
ibi lex extrinsecus posita est, quæ iniusti serrentur; hic  
intrinsecus data est, quæ justificarentur.*

Secundò, lex vetus & nova differunt in eo  
quod lex nova habet vim justificandi, idque du-  
plici titulo. Primum quia habet præsentem Chri-  
stum ejus auctorem & institutorem, qui potuit  
ex perfecta justitia mereri & Deo satisfacere  
pro hominibus. Ideoque ex vi sui statu dat gra-  
tiā per aliquid sibi propriū, & secum illam  
affert, velut animam legis: *Lex enim per Moysen da-  
ta est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est,*  
Joan. 1. Secundò, lex nova habet vim justifican-  
di, quia continet sacramenta, quæ habent vim  
causandi gratiam, & sunt veluti vasa illam conti-  
nentia, ut suppono ex Tractatu de Sacramentis,  
Econtra lex Mosaicam, cùm nec ipsum gratia au-  
**E**thorem habere, nec contineret Sacramenta ha-  
benia vim causandi gratiam ex opere operato,  
vim justificandi non habebat ex propriis, sed per  
respectum ad statum legis gratiae, ad Christum  
ejus auctorem, cujus virtute & meritis gratia  
antiquis patribus in quacumq[ue] leges fuit collata.  
Unde D. Thomas quest. 107. art. 1. ad 2. & D.  
Augustinus plurius locis affirmanit illos qui in  
veteri Testamento fuerunt Deo accepti per si-  
dem, secundū: hoc ad novum testamentum  
pertinet: non enim justificabantur nisi per si-  
dem Christi, qui est auctor novi testamenti, ju-  
xta illud act. 15. *Per gratiam Domini Iesu Christi cre-  
dimus salvari, quemadmodum & illi, Patres scilicet  
veteris testamenti. Et istud i. Corinth. Bibeant au-*

## DISPUTATIO DVODECIMA

182

autem de spirituali consequente eos petra: petra autem A erat Christus.

Hinc intelliges, legem veterem recte speculo comparari, quod maculas quidem ostendit, sed non auferit; legem vero novam aqua, que non solum lordes vales ostendere, sed & abstergere; unde Ezech. 25. Dominus fidelibus novae legis politetur: Effundam super vos aquam mundam, & mundabitini ab omnibus iniquitatibus vestris.

Intelliges etiam, cur lex nova vivificare dicitur, & vetus occidere; quia nimur prima largitur gratiam, qua vera animi vita est; altera vero eam vi tua largiri nequibat, & concupiscentiam prohibiendo augebat, ut docet Augustinus de spiritu & littera cap. 4. Doctrina (inquit) quia mandatum accipimus, littera est occidens, nisi dicit vivificans Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, id est charitatem.

Denuo intelliges, quod quemadmodum in antiquum propitiatorium Exodi 15. vertunt vulnus duo Cherubini, sic in Christum veluti magnum quoddam propitiatorium mundi, vertunt oculos duo populi, antiquus, qui Christi adventum praecellit, & Christianus, qui sequitur, cum eadem Christi gratia uterque populus salvus factus sit, & eodem agni immaculati ligure redemptus. Unde Augustinus Epist. 157. ad Optatum; Cum omnes justi, id est veraces Dei cultores, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi, nec viventer, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratia plenitudo, profecto quod scriptum est Act. 4. Non esse aliud nomen sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humana, ex quo in Adam vitiatum est. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: quia sicut in regno mortuorum, nemo sine Adam, ita in regno vita, nemo sine Christo: sicut per Adam omnes iniqui, ita per Christum omnes iusti homines: sicut per Adam omnes mortales in pena facti sunt filii seculi, ita per Christum omnes immortales in gratia sunt filii Dei.

Tertio, lex vetus & nova differunt in eo quod vetus testamentum conditum est pro servis, novum pro filiis & hereditibus, ut declarat Apostolus ad Galat. 4. his verbis: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natu est; qui autem de libera, per promissionem. Quae sunt per allegoriam dicta. Hec enim sunt duo testamento. Unum quidem in monte Sina, in servitutem gerentes, que est Agar; Sina enim mons est Arabia, qui conjunctus est ei qua nunc est Ierusalem, & servit cum filio suis. Illa autem, que sursum est Ierusalem libera est, quia est mater nostra. Et infra: Non sumus ancilla filii, sed libera. Unde ibidem Ante Ierusalem: In utroque (inquit) testamento genuit Deus filios, qui sibi servirent, sed in veteri Iudeos servi, qui timore pene, & promissione temporalium, ei servulter obedient; in gratia vero novi testamento, liberos, qui ex dilectione servirent. Quibus verbis aliam utriusque legis differentiam indicat, quod nimur testamentum vetus fuit timoris, novum est amoris: tunc enim illud servorum, quorum est timor, juxta illud Malach. 1. Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? hoc est filiorum, quorum est timor erga patrem. Unde Chrysologus serm. 1. in Evangelio, cum jejunatis: Vbi Deus Dominum mutavit in patrem, volunt charitate magis quam potestate regnare, & amarim alium, quam timeri. Et Augustinus libro adversus Admantum cap. 16. Deus veteri homini fugienti, tanquam Dominus apofolus, quod timeret, & novorem ducenti, tanquam pater aperuit quod amaret. Et c. 17. ait: quod hoc est brevissima & aperiissima differen-

tia duorum testamentorum, timor & amor. Unde quemadmodum timor prior est more, sic testamen-  
tum vetus prius fuit testamento novo; & si-  
c ut timor locum preparat charitati, cum autem  
cooperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei  
preparavit locum testamentum vetus pre-  
paravit locum testamento novo, quo advenien-  
te, abrogatum fuit. Sicut enim [inquit Augusti-  
nus] quando aliquid fuit seta, iuva intras, sed nisi ex-  
eat, non succedit linum: sic timor primo occupat mem-  
bra, non autem ibi remanet, quia ideo intravit ut introduce-  
ret charitatem.

Ex his sequitur alia differentia, in veteri enim testamento, mysteria fidei, praesertim Trinitatis & Incarnationis, erant obscurae & imperfete cognita, in novo clare & explesse sunt revelata. Quare hoc? quia nimur servi non tam perfecte sciunt consilia & secreta Patris familias, quam filii. Hinc Christus Joan. 14. Discipulis dicebat: jam non dico vobis, quia servus nesciit quid faciat Do-  
minus eis. Hanc differentiam indicavit Augustinus, cum dixit vetus testamentum esse occultatione novi, & novum esse revelationem veteris; & propter hoc Moylem cum loqueretur ad populum faciem velasse, Christum vero nobis revelata facie locutum esse, ut ait Apostolus 2. ad Corinthi. 3.

Et hoc intelliges, quod sicut hemispherium ed-  
magis clara est quod magis ei Sol appropinquat;  
ita statu's veteris legis, secundum maiorem ad Christum & Evangelium propinquitatem, ma-  
jorem cognitionis divinorum mysteriorum clar-  
itatem & illustrationem accepit; & ut loquitur D. Gregorius homil. 16. super Ezechiel. Secun-  
dum incrementa temporum, crevit scientia Sanctorum  
Patrum, & quantu'm viciniores adventus Salvatoris fue-  
runt tanquam sacramenta salis, plenum percepserunt. Un-  
dique David, qui apropinquat Christo fuit, ple-  
niorem de mysterio incarnationis & Trinitatis,  
quam ceteri Patriarcha & Prophetæ, qui ip-  
sum præcesserunt, cognitionem accepit; propter  
quod Psal. 118. ait super seines mellexi. Item Joa-  
nes Baptista, quia Christo adhuc apropinquauit  
fuit, utpote quem dixi monstravit, plenorem  
Davide & ceteris Prophetis veteris testamen-  
ti, de eisdem mysteriis intelligentiam habuit: de  
quo proprieate dicit Christus, ipsum esse Pro-  
phetam, & plu' quam Prophetam, & inter natos  
mulierum, id est Prophetas, nullum majorem  
surrexit.

Alia adhuc ex dictis colligitur inter vetus & novum testamentum differentia. Nam in veteri testamento promitterebat Deus bona temporalia, in novo promitteret æternam. In veteri dicebat Isaiae 19. Si audieritis me, bona terra comedetis; in novo Christus ait Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Hinc Augustinus in Psal. 73. Diu (inquit) se utriusque testamento voluit esse authorem, ut & terrena promitteret in veteri, & celestia in novo. Quia nimur alia est conditio ser-  
uum, alia filiorum. Servi accipiunt tempora-  
lem mercedem à suis dominis, & sic dimittuntur; filii vero succedunt in perpetuam hereditatem. Hoc insinuat Paulus ad Galat. 4. cum ait:  
Eifice ancillam, & filium ejus: non enim heres est filius  
ancille, cuius filio libera. Et ad Hebreos 7. cum vocat  
testamentum novi meliorem spem, per quam pro-  
ximatur ad Deum, quia scilicet celestia ac æ-  
ternas sperat; cum è contra lex vetus terrena so-  
lum & temporalia expectaret. Unde Bernardus  
serm. 3. in Cantica: Grave legis jugum, & yle prae-  
mium, nam terra est promissio.

Ex

## DE LEGE DIVINA NOVA.

583

Ex hoc intelliges aliud discrimen, quod inter novum & vetus testamentum versatur; novum enim cœli fores aperit, quas verus aperire non potuit, ut egregie declarat Apostolus ad Hebreos 9. his verbis: In secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex introbat, non sine sanguine; hoc significante Spiritu Sancto, nondum propastam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Hoc est: in Sancta Sanctorum, que templi pars erat intima, & ceteris præcellentior, solus Pontifex tenuerat anno introibat, ceteri sacerdotes eo ingressu prohibebantur: quia occlusione intimi adiici, & pars templi præcellentioris, adumbribat Spiritus Sanctus, viam in cœlum suisse occlusam, quamdiu vetus testamentum ratum fuit. Novi autem testamenti author Christus, primus omnium cœlum penetravit, cœlestemque viam ac fores aperit. Quam ob causam duodecim portas cœli patentes videntur Iohannes Apocal. 21. Porta, inquit, ejus non claudetur. Ab oriente porta tres, & ab Aquiloni portatris, & ab Austra porta tres, & ab Occasu portatres. Versus omnes cœli plagas portare patent, quia totius orbis habitatoribus patent, non veteris, sed novi beneficio testamenti.

Aliam ejusdem veritatis figuram habemus Numer. 15. ubi lex hujusmodi à Deo lata extat: Exiles & persugi, ante mortem Pontificis, nullo modo in urbes suas reverteri poteruntur. Per hoc enim significabat Spiritus Sanctus, quod ante mortem Christi, nemo cœlum ingredi poterat, nec in patriam cœlestem reverti; sed ex defuncto, & resurgentem, ac in cœlum ascendentem, cœli portam omnibus fore apertam, ac liberum in patriam cœlestem redditum. Unde Gregorius homil. 6. in Ezechiel. Quid est, inquit, quod homicida post mortem Summi Pontificis est absolutionis, ad terram propriam reddit, nisi quod humanum genus, quod peccando sibi mortem insulit, post mortem veri sacerdotis, id est Christi, peccatorum suorum vincula solvuntur, & in paradisi possessione reparatur.

Denique omissis pluribus aliis inter veterem & novam legem differentiis, hæc præcipua & veluti capitalis est, quod d'lex vetus fuit umbra & figura novæ, nova autem veteris perfectio & complementum. Unde Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos cap. 9. In lege promittitur, in Evangelio impletatur; ibi initia, hic perfectio est; in illa operum fundamenta jacuntur, hic fidei & gratiae culmen imponitur. Et Bernard. homil. 1. super Missus est, docet quod sicut fructus tam semen quam florum finis & complementum est; ita Christus finis fuit, perfectio, & complementum veteris legis: Videntur (inquit) mihi quoddam semen fuisse divina cognitione, tanquam cœlo factatum in terra, allocutiones & promissiones factæ ad Patres Abraham, Isaac & Jacob. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israël de Ægypto, in figura & enigmatis; per totum iter in deserto, usque ad terram promissionis, & deinceps in visionibus & ratiociniis

A Propheta, in ordinatione quoque regni & sacerdotii usque ad Christum, Christus autem hujus semini & horum florum, non immixtū fructu esse intelligatur.

Alia similitudine vultur Chyostomus (vel ut alii volunt Victor Antiochenus) expomens illud quod haberetur Marci 4. Ultra terra fructificat primum herbarum, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Subdit enim: Primo herbarum fructificat in lege naturæ, postmodum spicas in lege Moysi, postea plenum frumentum in Evangelio.

Si autem quartas, quomodo lex nova impletat veterem: Rcpo dabo cum D. Thoma hic qu. 107. art. 2. legem novam adimplere veterem, suppledio duo, quæ veteri legi deerant. In veteri lege (inquit) duo possunt considerari, scilicet finis & pæcepta contenta in lege. Finis

B verò cujuslibet legis est ut homines efficiantur iusti & virtuchi, unde & finis veteris legis erat iustificatio hominum, quam quidem lex efficeret non poterat, sed figurabat quibusdam ceremonialibus factis. & promittebat verbis, & quantum ad hoc lex nova impletat veterem legem, iustificando per virtutem passionis Christi. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Roman. 3. Quod impossibile erat legi, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legi implatur in nobis.... Præcepta vero veteris legis adimplivit Christus & opere & doctrinâ. Opere quidem, quia circumcidit voluit, & alia observare, quæ erant tempore illius observanda, secundum illud Galat. 4. Factum sub lege. Suā autem doctrinā adimplivit præcepta legis tripli. Primo quidem, verum intellectu legis exprimendo, sicut pater in homicidio & adulterio, in quorum prohibitione Scribe & Pharisæi, non intelligebant nisi exteriorē a. Atum prohibuit; unde Dominus legem adimplivit, ostendendo etiam interiorē a. peccatorum cadere sub prohibitione. Secundò adimplivit Dominus præcepta legis, superaddendo quædam perfectio, Dnis consilia, ut pater Matth. 19. ubi dicente se observasse præcepta legis veteris, dicit: Vnum tibi dico, si vñ perfectio esse, vade & vnde omnia quæ habes, &c.

Cætera quæ de lege nova docet S. Thomas, facilius sunt, magisque indigent lectione quam explicatione. Unde his prætermis, agendum nobis est tomo sequenti de alio exteriori humoraliorum actuū principio, scilicet gratiâ Dei, quæ est divinæ legis finis & complementum; nam ut ait Augustinus lib. de spiritu & litera: Lex data est, ut gratia quæreretur gratia data est, ut lex adimpleretur.

Finis Tomi tertii Gyphei Theologia Thomistica.

